

ANN. XVII - FASC. IV

MENSE APRILI MCMXXX

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI
PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Aprili MCMXXX

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

De popularibus legislatorum comitiis

Nec anceps ferme neque arduum nostris diebus credimus illius onus futurum, qui de popularium oratorum coetibus, ad ferendas leges congregatis ubique, tutum ferre iudicium adgrediatur. Infelici enim et quotidiano usu satis iam est quivis populus edoctus, inania suorum oratorum comitia non ea esse, quae prospera reipublicae fata valeant comparare: siquidem perniciosi regiminis effectus tam saepe et tam perspicue apparuerunt, ut qui nunc congregantur passim per excultas orbis nationes ad rectam rei existimationem paene inutiles in dies reddantur.

Quapropter quae est hodie humanae societatis moderanda disciplina, optimas cuiusque populi metas defendere quodammodo ac tueri cogitur, ne in legislatorum dicionem incident, neve detimento inde maximo labefactentur. Nec immerito ferme cultus ille, qui est hactenus legislatoriis huiusmodi aulis addictus, maxima nostri aevi superstitione a pluribus recensetur; ex iis enim veluti ex Delphicis templis sapientia omnis et salus, et quasi nova humanae societatis redemptio, sunt insana fide per saeculum exspectatae: unus, contra, fuit constans tantae spei fructus, ut si quis

adfuerit interdum sapiens et prudens moderator reipublicae, opera eius misere impediret atque irrita redderetur et inanis.

Et profecto, praeter ipsam populi indolem, ab hac institutione plerumque abhorrentem, binae semper corruptionis causae virent, quarum altera in publicis vel privatis cupiditatibus, honoris vel lucri studio successis, requirienda est; altera in perniciiosis illis ac scelestis sectis, quae per omne nefas publica sese potiri re student, et, populi felicitate posthabita, propria persequuntur, utque suas divitias tantum augeant contendunt.

Quae vero horum ordinum origo? Quae fata?

Quum primum in Gallia comitia huiusmodi in antiquitate florerent, unum idemque fuit ipsis munus, intemperans regis arbitrium iustis limitibus coercere. In Anglia vero, quam publicae recentioris libertatis quasi matrem repetunt, fuerunt in prima antiquitate consilia quaedam, quae de tuendis patriae finibus, de bello ferendo, de vectigalibus imponendis, de aedificiis rebus una cum rege censem, donec *Magna illa Charta*, quae fons nostrorum coetuum habetur, a Willhelmo illo Noto, ex Normannorum genere, fuit die Iunii mensis xv anni MCCXV edita. Post haec Simon a Monfort, ut Henricum III a regno depelleret, comitia Oxo-

ni indixit, regemque ad iusurandum vi coegit, ut iure quovis suo abdicaret, statuitque ut iudices, cancellarius, ipsique regis administris in comitiis eligerentur, ut comitia ter in anno convocarentur, ut denique legati ex iis semper una cum regni administris pro gubernanda republika sederent. His nobilium et optimatum immixtionibus Eduardus III ut obsisteret, anno MCCCXV, ex quovis comitatu equites nonnullos advocavit, qui mandantium personam gererent, tuncque primum una cum legatis civitatum equites in comitiis recepti sunt. Hae fuerunt quidem origines utriusque anglici coetus, et nobilium, et municipum, quorum suffragia sunt temporis progressu distincte expedita. Humiliorum vero aula praecipue inter lutherani schismatis perturbationes maximam vim adepta est, quam ante nunquam habuerat, opera praecipue et virtute Thomae illius Moore, qui Ecclesiae martyr deinde obit; quod et imperantibus etiam regibus e Scothorum genere Stuart pariter contigit.

Verum quum in Carolum I regem, qui Henrici IV filiam uxorem duxerat, catholicae fidei fervidam vindicem, perduellonis bellum excitatum fuisse, utrumque comitium regem semper uti hostem habuit, publica omnia iura praeripuit, aulam, quam stellatam dicebant, abrogavit, regem morti tradidit. Constituta deinde, Cromwello praeside, republica, varia tunc unius, tunc alterius coetus auctoritas fuit, quod pariter aequa vicissitudine post instauratum regnum ad nostros usque dies permansit, nec gravis ulla ordinum immutatio post illud tempus facta est.

In Gallia Philippus ille rex, cui nomen « Pulcher », tum universalia populi comitia, tum legatorum provinciarum coetus primus inivit. Verum quae pro administranda aequius iustitia fuerant constituta, ea brevi in civitatibus moderandis, nec ferme iustitiae studio, sese immiscuerunt. Et profecto tristia coetum illorum exem-

pla Francisco II rege prodierunt passim, sive quum contigit Annam Dubourg sacerdote esse necatam, sive quum clades illa celebris, quae ex sancti Bartholomaei nocte nomen sumpsit, Lutetiae vias cruentavit. In Generales vero populi Coetus qui vocabantur, ex trino civium ordine, ex clero, ex optimatibus, ex plebe legati conveniebant atque regis arbitrio congregabantur. Quare in moderanda republika nulla eorum auctoritas fuisse, nisi huc et illuc nonnullas veluti protestationes contra regia crimina et iniuste facta edidissent.

Quibus brevi ex historia depromptis ceterisque omnibus praetermissis, nonne una eademque reddit illatio, ordinem hunc regendae reipublicae submovendum esse, quippe maxima iam minimeque decora vetustate labore, ut sua veluti senectute quoque extinguitur?

P. R.

DE RECTO VOCIS "RHETORICA" USU

Nonnullos autores vocibus « Rhetorica », « Rheticus » non recte uti, imo vero etiam easdem voces ad abusum convertere, experientia, rerum omnium magistra optima, sine cuius assiduitate in omni doctrina infirma est omnis perceptio, ex tenebris in lucem passim denunciat. Praeterea quidam amicus meus, non equidem magister pedaneus, sed litterarum splendore praclarus, qui multa ova paschalia comedit, cui insuper magnus in iocando lepus inest, in rem praesentem me mira industria et humanitate duxit. Unde res haec mihi uberrimum fructum in lucem aspectumque pandit, ita tamen ut summam patiar e copia difficultatem sed quoniam scindere glaciem difficilis

ceteris, et dimidium facti, qui bene coepit, habet, verba statim fusurus sum, quae utinam nitorem Romanae linguae redolent! Vos tandem, lectores humanissimi, admonitos volo ut pro certo habeatis me non aliud in lingua, aliud in pectore promptum gerere, hasque meas disquisitiones, quae essent vellem quasi suavissimus pastus animorum, benemoratas esse; scio enim Eutropium suo periisse consilio malumque consilium consultori pessimum. Itaque, dum tabaco naribus admoto sternutamenta evocatis, dicere quae volo adgredior.

Est qui inanes falsae gloriae umbras consecutatur atque omnia, dicta, facta, cogitata ad popularem auram refert. Quum praeterea magnae ad illum pecuniae perverint, ita ut sit haec una vox omnium, « Cressi divitias habet », « Pythii Mysii talenta possidet », hamis aureis argenteisque res expiscatur hominesque muneribus inescat. Unde, omnes rumorum ventos captans, quamvis sit iuris nil omnino peritus, rem tamen populi curare parat, incredibili studio concupiscit in mirandam etiam adsciri Aulam patriae longo ordine patrum. Ventosis verbis, inter multa meri fragrantia pocula, punctum laetus paene omne tulit. Copiose magis dicit quam graviter et sententiose, omni remoto naturali calore. Inculcans inania verba, quasi rimas explens, operam, multis laboribus plenam, impedit ut populus redimendus, congressus ad urnas, e medio tollat quos ante malignos, exiguum sane numerum, auri sacra fames, non dulcis amor patriaeque decorus, iuxta oratoris opinionem, adscierat.

Verum arrogans quidam magister abcedarius ibi adest, ad cuius disciplinam populi pueri se recipient, qui, unguis arrodens, subarratas aures habet audiendo illum, verbosis petentem strophis a turba infinita auditorum, ut nemo ex suffragatoribus ei desit, a quibus legibus ferendis

deputetur. Tandem magister ille alphabeticus restrictim, per iocum fortasse dicit: « Nimis rhetoricus est iste: rhetoricae prodigus: nullis rhetoricae sumptibus parcit ».

Age vero: nonne hoc extra ius est totum quod ille orator garrulus (sicut et innumeri homines summae loquacitatis) rhetoricus appelletur, quod ad altissimum Rhetoricae culmen evehatur? nonne hoc est facere Rhetoricae dignam canis latrantibus sedem?

Decantatus orator, triumviratus candidatus, recte, mea quidem sententia, appellandus est saccus nucum vitiosarum; turture loquacior; Dauli cervix; Archytæ crepiculum; hirundinum musca... nequam vero rhetoricus, quem tali egregio nomine omnino indignus sit, et magister ille pedaneus, quem reperi et audivi inter auditorum turbam, voce *Rhetorica* et *Rheticus*, prave et perverse, quod nefas homini docto, abs dubio utebatur.

Non enim Rhetorica est ars dicendi impolite, inculte et inepte, qua oratio tota oleat ac spiret rus merum, aut affectatum quoddam in speciem artificium preeferat, sed est ars dicendi bene, perfecte, pulchre, qua in oratione adhibentur pigmenta, colores, flosculi rhetorici, figurae, tropi, ornamenta dicendi, verborum phaleræ, quibus oratio ipsa ornatur, illuminatur, illustratur mirifice. Nam Rhetorica pertinet ad Pulchriores Artes, quarum proprium est obiecta concepta cum pulchritudine repraesentare.

Nunc se mihi apta praebet occasio transcribendi docta verba cuiusdam humanissimi praceptoris, cui plurima ingeniose atque eleganter dicenti trepidabat iam pectori barba. « Rhetorica — aiebat — ars est praestantissima, nobilissima, utilissima; ars bene dicendi, divina plane est; a caelo divino munere delapsa, ac Dei beneficio hominibus concessa: Rhetorica facultas est, qua sapientiae et aliarum bonarum

rerum laus decenter affertur, et ignorantiae vitium et ceterarum malarum rerum luculenter detegitur, reprehenditur, accusatur, et qua religionem et reliquarum virtutum chorum hominibus suademos».

Hisce verbis, quae cum re, quam agimus, bene currunt optimeque cohaerent, meae thesi, maximo qua bonarum litterarum consulo splendori, finem impono.

Vici, apud Ausetanos prid. Kal. Aprilis MCMXXX.

I. FONTS.

KALENDAE APRILES

Cogitasti ne unquam, amice lector, quo fiat ut quum fere omnium kalendarum, quas vel indicat fama, vel usus celebrat, ortus et causae modo sint in monumentis relata, modo traditioni sint credita, modo vel sapientissimorum, vel eruditissimorum virorum sive interpretatione, sive conjectura, sive perscrutatione probentur, ita kalendae Apriles in more sint, ut neque perspici, neque inquiri, neque cognosci possit undenam, quo ritu solent, habeantur sollemnes?

Equidem *strenae* Sextiles, Augustae videlicet, itemque Ianuariae, religione magna usu populi consecratae, kalendas illorum mensium insignes fecisse videntur; quippe Ianuariae missis datisve alternis munusculis, bonisve saltem verbis, nempe ominibus, tales habitae sunt, ut vel ipse Caligula imperator Suetonio teste (cap. 42), edixerit strenas ineunte anno fore se recepturum; erat enim in hisce donis aliquid boni ominis gratia conlclusum, quod et animum donantis ostenderet, et reddentis animum polliceretur. Ad Augustas autem quod attinet, quae Romae semper magno in honore ac ritu fuerunt, et sunt, sollemnitatis ac recordationis cau-

sas ex Macrobo scimus: «Quum imperator Caesar Augustus mense Sextili et primum consulatum inierit, et triumphos in Urbem intulerit, et ex Ianiculo legiones deductae, sequutaeque sint eius auspicia ac fidem, et Aegyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impotitus atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit» (*Sat.*, lib. 1, 12).

Hisce itaque positis, quid laetas fecerit kalendas utrasque non miror, et quid coniugibus Martias convivio et sacrificio servandas praeceperit noscimus illa Horatiana ode praesertim, quae incipit:

*Martiis caelebs quid agam kalendas,
Quid veint flores et acerra thuris
Plena miraris, positusque carbo in
Cespite vivo.*

At quid sollemnitatis et quale genus sit in kalendis Aprilibus celebrandis, et eo more, inquam, celebrandis, ut festivum sit alicui verba imponere, et nihil tale suspicantem in longum iter dimittere, et eo iucundior laetitia sit in mittentibus quo longius dimisso spatium emensum bona fide sit, demum qua de causa hic illudendi modus *Piscis Aprilis* nuncupetur, plures frustra rogaverunt, multi causam facto imparem protulerunt, nemo rem ita absolvit, ut vix quod intra probabilitatem esset assequeretur.

Re quidem vera, fuit qui prodidit Lotharingiae dynastem in arce Nanceia carceri traditum, rege Ludovico XIII Gallorum, kalendis Aprilibus rupisse vincula, et fluento, cui La Meurthe nomen, tranato, rediisse ad suos; Lotharingios autem illusisse Gallicis militibus, qui pisces in custodia servare non potuissent, elapsum frustra petiissent. Quantum fabula absit a re, res a significatione ipsa neminem latet.

Passarinius, in opere quod inscribitur *Picus Luri Bassaniensis*, commentus est

montanos incolas, kalendis Aprilibus feriantes ad litora proximi maris venisse, ibique piscatores otiosos quum reperissent, petiisse ab hisce, mercede pacta, ut scalmos et naviculas pectorias commodarent, ratos punctionem copiosissimam se in alto facturos. Illi libentius assensere, scientes eo tempore pisces in deponendis ovis ad litora districtos altum non querere. Quo factum est ut illi toto adremigantes die et retia trahentes hac illac, ne pisciculum quidem ceperint. Ortum inde proverbium, quo irridetur qui nubes et insania tantummodo, multo labore et longis itineribus, captarent.

At hinc etiam video a veritate proverbii et moris fabulam aberrasse; non enim agitur de homine, qui prudens et sciens inania tamen captat laboriosus; sed de homine, qui nescius et imprudens ad vanam dimittitur accipienda, dum bona fide alieno consilio vel fretus vel parens itinere fatigatur.

Tertius, Henricus de Bellingen, mihi non sine quodam sacrilego ausu, autumat haec itinera, in quae bardus, vel male sibi cavens homuncio peragenda adigitur, esse recordationem quamdam itinerum Christi Domini, qui ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum amarissime trahebatur, Iudeis *crucifige!* *crucifige!* undeque conclamatibus. Idque eo praesertim quia Christus in precipuis literis acrostici Erythreae Sibyllae *ixθις* habetur, idest *piscis*; nempe: «Iesus Christus Dei Filius Servator». Qua de re prisci illi Christi obscuri asseclae gemmas, testas, lucernas, nimbus vitreos, marmora pisce notabant, mysteria picturis velabant, quinimo, ut in epigrammatibus Aberci et Pectorii, quum loquebantur de pisce, Christum designabant. At quamvis haec sint, quinimo et tesserae etiam hospitales serventur in effossionibus repertae pisce distinctae, quibus pateret aditus Chri-

stianis adeuntibus vel catacumbas, vel ecclesiam in aliqua aede patria primis temporibus congregatam; neque me lateat Eusebium in Vita Constantini orationem Augusti retulisse, in qua magnus imperator e Ciceronis libris integrum refert acrosticum sibyllinum, libere dicam huiusmodi morem, nimis alto repetitum principio (cuiusmodi fere semper eruditorum deliramenta sunt), Christianas mentes et mores inire non potuisse, immo nec humana. Quid? Aut credentes essent in Christo, aut idololatrae et Iudei. Si credentes, nunquam irrisionem acerbam retulissent; si idololatrae et Iudei, nunquam eversio nem rerum omnium suarum, illis praesertim scatentem ex itineribus, fere superposito vulnere refricassent. Addam denique hasce irrisiones, si tamen, habendas Martio mense, non Aprilis exordio, quum passio Christi communi sententia vigesimo quinto Martii mensis diei, non kalendis Aprilibus affingatur.

Reiectis hisce, quid superest? Fortasse opinio, quam ego pae manibus fero, qua multa concilientur, quae tum Passerinius tum de Bellingen ediderunt, inter se quamquam pugnantia.

Argumentum breviter explicabo.

Sit Christus ille *ixθις*, piscis, quam et Sibylla et prima tria saecula probavere; sit in Resurrectione Christi triumphus novae religionis illatae, cuius fundatum, ut ait Paulus, resurrectio Dominica est. Sit autem, quod nullus sanae mentis homo negabit, infelix illa Hebraeorum astutia dum vigilantes ad sepulcrum Domini milites auro proposito corrumpere conata est: «Dicte quia dormientibus vobis venerunt discipuli eius ad sepulcrum et tulerunt eum», dormientes, novo probationis genere, testes adhibens. Necesse inde fuit, aut saltem aequum fuisse, ut sacerdotes, pharisaeique, scribaeque hac illac discurrenter aut Iesu male mortuum, aut eius cadaver reperturi, ut flagrans de

resurrectione Christi mendacium ostenderent populo, sive ut contenderent se raptum credidisse. Ecce atrox ioci derisio. Bardus, qui frustraneum in iter dimittitur, synagogae satellites exprimit quaerentes quod certe non reperirent.

Habetis igitur quod cum pisce et cum eronibus commune sit. Kalendas autem Aprilis habetis quia eo die, plus minusve, de Christi resurrectione rumor insonuit, quam Hebreus falsam, inanem, mendosum denique nuncium toto praedicat ore.

Et quid putatis fuisse Hierosolymis, quid Caipham, quid pharisaeos, quid Herodem intentatum inausumque reliquise nunciantibus hominibus Christum apparuisse nunc hic, nunc illuc? Quot dimissi milites, vel certi saltem homines, qui seu rursus caperent, seu vidisse vivum referrent? Ambulate, ambulate a coenaculo ad Emaus, ab Emaus ad lacum Tiberiadis, a lacu Tiberiadis ad quaeque loca Iudeae. Rogatus de re alio vos mittet pisces capturos, aut vacuis toties manus reddituros.

Me autem ultro in hac sententia constiunt tum ea, quae saepius audivi, tum ea quibus nonnunquam interfui. In Marsis enim Aequicolisque Apenninis mos est bardum e pago in pagum credita epistola mittere, ut claves *Alleluia* inde ab aliquo dandas viro reportet, sine quibus Sabbato Sancto neque liceret hymnum *Gloria in excelsis* Deo festivo ritu in templo cantare, neque aera campana in sonitum, solutis funibus, provocare. Abiens vero obsequentibus excipitur verbis, ad tertium pagum dimittitur, ubi eadem iterantur, atque in alium toties, donec adesperascente die, penitus in itineribus faciundis absumpto, grave humeris bauilans onus — (bulgam nempe saxis diligenter refertam, fune constrictam sigillisque munitam multisque commendatam verbis ne deponat in via, ne ab alio ferri sinat, ne labi patiatur; magno non enim

crimine ista vacarent), — semimortuus fame domum remittitur.

Numquid non aspicitis in allegoria Iudeos, qui clausos aeternum sibi libros Legis Prophetarumque circumferunt, laetitiam sollemnis Sabbati sui frustra quaerentes, caeli solique sui extores, et ieiunio veritatis aeternaef confecti per aliena migrantes usquedum orbem terrarum deficit dies?... Scriptum quippe est: «Convertentur ad dexteram et famem patientur ut canes, et circumibunt civitates» (Psal. LVIII).

P. A.

CONSTANTIUS

*Insula prospicitur nostri de littoris ora,
quaes medio in pelago surgens dominatur aperto
Pausilypum contra Promontoriumque Miner- [vae;
quo circum scopulos hinc inde refringitur [unda;
quaes fuit antiquo Capreae de nomine dicta,
fusa malis citreis, uvis et olentibus herbis,
Sirenum sedes fastis memorata vetustis,
gemma corusca maris Tyrrheni iure vocata,
deliciae veterum vatum regumque voluptas;
qua transivit cum nautis iam notus Ulysses,
navibus illaesis, duram religatus ad ornum;
appulit Augustus, vixitque Tiberius annos
per multos, vitae et scelerum monumenta reli- [quit.*

*Turba frequens petitura venit solatia rebus,
huc properant gentes variis e partibus orbis
caeruleum spectatum antrum, mirabile visu!
Hic fuit et Constantius inclitus ille Patro- [nus,
qui constanter adhuc Capreas protexit alum- [nas,
cui tumidum commissa fuit tutela per aequor
nautarum qui sunt ventis hinc veladaturi.*

Conspicuum pietate virum, qui mira peregit,
Musa, mihi memora et mecum decurre labo- [rem,
quo melius possim Divi benefacta referre.

Ille fuit veterum regum de sanguine cretus
et devota Patris Benedicti castra secutus,
huc postquam rediit meritis Orientis onustus
praefectusque suis sociis comitantibus ultro
dogmata perdocuit gentes populosque per urbes
vera novae fidei, qui numina ficta colebant:
eruit hinc Veneris cultum delubraque Bacchi,
turpis delevit veteris vestigia gentis,
tempa Deo posuit priscis excita ruinis,
Virginis et Christi cultum promovit amoris;
moribus ornavit castis purisque iuuentam,
virginibus puerisque sacris loca saepa dicavit.
Insula sicca negabat aquam condentibus aedes
fratribus hic proprias olim super ardua montis,
aspera tum precibus iunxit ieiunia fusis
et Divi Petri monitu Constantius, alter
Moses, eduxit dura de rupe cavatos
fontes dulcis aquae et rivos per amoena loco- [rum;
his miris sociata fuit nova turba fidelis
extulit et Divi meritas ad sidera laudes.

Dalmaticis veniens dives mercator ab oris
vela dabat ventis Tyrrhena per aequora vectus,
navibus emptis et vendendis rebus onustis,
multa quies erat et splendebant astra, serena
nocte suos radios fundebat luna per undas
dum nautae remis innixi lenta caneabant
carmina dilectis natis sponsisque remotis
conantes simul optatum contingere portum.
At subito venti ex adversa parte coorti
incubuere mari totumque ruere minaci
murmure tollentes fluctus e sedibus imis
quo naves visae sunt mergi in gurgite vasto;
sustulit hinc vocem puppi mercator ab alta
ac pius extendens ambas ad sidera palmas
imploravit opem votis precibusque Patroni:
Constanti, praesens turbae miserere piorum,
sis memor hic nostri, quoniam tu gurgitis [huius
tradita summa tenes a caeli Numine Summo,

adversos ventos, fluctus compesce furentes,
iam naves franguntur et omnes aequora com- [plent,
huc ades et nobis liceat sperare salutem.

Sic ait, et dicto citius circumdata luce
dulcis imago Patroni e caelo lapsa sereno
visa fuit firmare pios super aethera vecta,
sedare et strepitum undarum ventosque ruentes,
dispersit nubes, nimbosque aquilone removit.
Ut rediit secura quies et luna refusit,
perrexit cursum et Capreensibus appulit oris
mercator pius absolvens sua vota Patrono.

Urbibus Ausoniae victis Calabrisque subactis,
late vastatos agros populataque rura
Agareni pagani voluere latrones,
orti Mahumeti veteri de stirpe nefanda,
civibus exactis, secum bona cuncta tulere;
Campanas petiere plagas Capreasque propin- [quas
hinc cives ad montes diffugere paventes,
antrum immane suis domibus subiere relicts,
cum natis sponsisque diu mansere latentes.
At vetula hic lacerata genas, lacerata capillos
una domi membris captis pedibusque laborans
orabat lacrymans pro civibus ipsa Patronum:
Constanti, Saracenos hinc detruere superbos,
gens inimica Cruci Tyrrhenum navigat ae- [quor;
ne patiare tuos pueros infanda subire,
neu Christi sacrum violet manus impia tem- [plum,
neu mala dimidiatae lunae signa locentur
hic, ubi Virginis Excelsae sacra splende- [imago
et Crucis arbor ubi fuerit mansura per aeva,
praedonum naves de finibus exige nostris.
Talibus ex animo dictis, Constantius Abbas
apparens vetulam est verbis solatus amicis,
immisit subitos ventos, turbavit et undas,
dispersit naves, hostes et abire subegit.

Hinc merito gratae Capreae coluere Patro- [num,
cui dedit imperium Summum super aequora [Numen,

*certantes celebrare sibi benefacta quotannis,
cuius et ingeminant laudes hymnosque trium-*

[phi:]

*Tutela praesens Capreis,
tuere nostra littora,
oras marinas protege,
cives ab hoste vindica.*

*Compesce fluctus horridos,
ventos furentes comprime,
nimbos minantes dissipate
nostrae ruinam patriae.*

*De rupe rursus excita
fontes aquarum vividos,
per rura currant rivuli,
qui laeta cuncta prosperent.*

*Defende mores puberum,
pudore cinge virgines,
fidem reserves integrum
prolempque nuptis auream.*

*Cultum receptum Virginis
in arce summa sustine,
Crucis repostae imaginem
ne tangat hostis impius.*

*Per te recepta lumina
ducant per alta pascua,
nobisque vitae caelicae
beata praestent gaudia.*

*Tecum canemus debitos
hymnos perennes gloriae,
agemus Almo Numini
per saecula cuncta gratias.*

Neapoli.

I. CACACE,
Presb. Neapolitanus.

oo

Socios,

*qui annuae subnotationis [pre]tium non-
dum solverunt, vehementer rogamus,
velint cum administratore nostro ra-
tiones suas quo citius exaequare.*

COMMUNIA VITAE¹

Strenue (fortiter) in proelio cecidit (occidit; occubuit; mortem oppetiit). — Honestam (praecaram; gloriosam) mortem oppetiit.

Pro patria vitam profudit. — Patriae se devovit. — In victoria (laetitia) mortuus est. — Aequo animo mortuus est. — Iniquo animo mortem accepit.

Sereno vultu mortem oppertus est. — Sancte (pie) obiit (in Domino obdormivit). — Pio sanctoque fine vitam clausit. — Magno cum pietatis sensu supremum diem obivit. — De morte sollicitus, ei religiosissimam præparationem adhibuit. — Decessit, piacularium sacrorum ope præsidioque instructus. — Extremis expiatus (procuratus) sacramentis (extrema sacramentorum expiatione defunctus) placidissime obiit. — Vita functus est sacrae Eucharistie viatico rite munitus (instructus).

Singulari certamine congressus (monomachia decertans; viritim digladians; de pugnans; dimicans; manus conserens) misere vitam finivit.

— Ecquando singularia certamina (duella; monomachiae; singularia proelia) interdicentur (inhibebuntur)?

— Manus sibi ipse heu! attulit. — Manus violentas sibi intulit. — Necem (voluntariam mortem) sibi consivit. — Manibus suis sibi necem intulit. — Se ipsum interemit. — Vitam sibi exhausit. — Vitam abiecit. — A se manus non abstinuit. — Voluntaria morte vitam abruptit. — Manus ipsa sua cecidit. — Suum sibi sanguinem hausit. — Se ipse exanimavit. — Mortem sibi authorizavit.

— Euge! mortem omnibus natura proposit. — Omnibus præposita est mors. — Moriendum omnibus est. — Omnibus mors

¹ Cfr. fasc. sup.

definita (constituta) est. — Mortalitatis vetigales sunt quotquot vivunt.

Conceperat ne (scripto conceperat; considerat; conscripserat) ante mortem testamen-
tum? — Testatus ne erat? — Testato ne (testatus) decessit (mortuus est)?

R. — Iam multos annos formula conce-
ptum exaraverat holographum testamen-
tum; dein irritavit (fregit; infirmavit;
rescidit; irrum fecit; testamento vim derogavit; testamenti vim infregit) Quum vero ei ultima necessitas denunciata est, (iam iam esset exhalaturus animam; quum mors instaret; quum ultima hora illi imminaret; quum a morte prope abes-
set; quum in ipso esset mortis limite; quum iam iam ipsi moriendum esset; in extremo spiritus; in vitae exitu) supremas tabulas (diathecas) per notarium condidit.

— Resignatum (apertum) ne est adhuc testamen-
tum? — Ecquem haeredem consti-
tuit (instituit; nuncupavit)? An te?

R. — Imo me omnino praeterit. — In testamento mei suit immemor. — Nihil mihi testamento reliquit (legavit). — Me haereditate abdicavit (multatavit; exsclusit; privavit; orbavit; spoliavit; abiudicavit; me exhaeredem fecit).

Ex tabulis, haereditas data (attributa)
est Titio, qui eam statim adivit.

— Quid autem testamento cavit defun-
ctus?

R. — Titium ex asse haeredem scripsit,
qui amplissimas quidem fortunas hinc
adeptus (nactus) est. Luculenta praedia et
ampla, et divitiae omnis generis obver-
nerunt (contigerunt; obtigerunt; servata
sunt) Titio.

— Quem autem testamenti exequendi
curatorem (administrum) scripsit? — Testa-
menti procurationi quem præfecit (præ-
posuit)?

R. — Sempronium.

— Homo quidem Sempronius est cuius-
vis negotii strenuus administer (fortis et
sciens curator; homo in rebus agendis

acer et industrius; animi præsentis et
manu promptus homo).

Quomodo defuncto parentavit (parenta-
tus est)? — Quo ritu defuncti exequias
celebravit (solvit; persolvit)? — Quae funera
(iusta) fecit (peregit)? — Quibus exequiis
mortuum honestavit (prosequutus est)? —
Quae suprema ei solvit? — Virum pro
dignitate sua certe sepelivit.

R. — Cadaver balsamo condit (linivit;
oblinivit; medicavit; imbuit). — Demortui
corpus condit (contra tabem condimentis
arefecit; medicamentis procuravit; aroma-
tibus medicatus est; medicavit; duravit;
præmunivit; prohibendae tabi medica-
mentis curavit); deinde sollemnes inferias
solvit (sollemni funere extulit; mortuo
sollemne funus curavit; sollemnia par-
entalia peregit) consanguineis et amicis
ad exequias undique convocatis (ad pom-
pam funebrem invitatis). — Funebrem
pompam procuravit cum honorario comi-
tatu multo (cum multis funeris assectato-
ribus; deductoribus).

Funus ei amplum faciendum curavit. —
Dedit operam ut funere amplio (magni-
fico; honorifico) efferretur (ut dignis exequiis
honestaretur). — Exequiis eum hono-
rifice (honorifica sepultura) prosequutus
est (sepelivit; tumulo mandavit), oratione
funebri habita (eius vita amantissime
descripta; eius factis oratione celebratis;
laudibus ornatis; laudum præconiis elati-
bis; laudem prædicationibus illustratis;
omni laudum genere defuncto publice
decorato).

— Atqui Titius suae tutelae non est
(suae spontis non est). Quem ei tutorem
attribuit? — E tutela nondum excessit
(exiit; abiit; suam in tutelam nondum
pervenit; sue tutelae [suae aetatis] non-
dum factus est; aetatis legitimae [iustae]
non factus est; quem ei tutorem assignavit
(dedit; constituit; instituit)?

R. — Tutelam administrabit (exercebit;
geret; curabit) Sempronius. — Pupillo tutor

praerit (pupilli tutelam geret) Sempronius; qui pro sua diligentia impuberis res dispensabit (administrabit; moderabitur).

R. — Titium haereditate aspersit (in haereditatis partem vocavit); altera pars cessit Caio; maligna et minima portio mihi evenit (attributa est).

— At fortasse tibi consanguineo Titius sive Caius ex sua utriusque parte aliquid tibi vel ad tempus concedent (ius haereditatis tibi transribent).

R. — Quinimo sine cretione (nullius creationis conditione interposita; nulla de liberandi conditione) haereditatem occupaverunt (adiverunt; nulla interiecta creationis lege acceperunt). — Nullo sumpto ad cernendum die, uterque partem sorte datum sibi admisit.

— Iure igitur ii lugubria induent (vestis mutatione luctum suum ad dolorem declarabunt; moestitiae insignia inferent; lugubrem vestem sument; veste lugubri vestientur), neque cito exuent (ex luctu ad vestitum redibunt).

R. — Oh! fatum meum vere est hoc, ut miserrima quaeque sustineam. — Haec mihi nascenti lex dicta est, ut amarissimam fortunam experiar. — Ea videor conditione natus, ut nihil boni videam in hac vita mea (ut omne malum subeam; perferam; sufferam; patiar).

Ego autem in infelicitate sum constitutus. — Afficta sum fortuna. — Miserae conditionis profecto sum. — Omnibus malis affligor (omnibus miseriis opprimor; omnibus infortuniis vexor). — Meae rationes (fortunae) loco pessimo sunt. — Fortuna mihi gravis (adversa; infesta) semper fuit et erit.

I. F.

(Ad proximum numerum).

Magna est virtus si non laedas a quo laesus es; magna est fortitudo si etiam laesus remittas.

ISIDORUS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Quomodo Italicum « Cassa di Risparmio » latine dici possit.

Ad IOSEPHUM FORNARI, « Almae Romae » Moderatorem.

Vir clarissime,

Mihi ignoscas velim, si post lectas litteras, quas mihi in « Alma Roma » rescripsi, iterum de eadem re audeo immorari. Evidem non ignorabam quid sibi vellent ii qui *Societatem parsimoniae provehendae* eam vocarent, quae Italice *Cassa di Risparmio* dicitur. Sed iisdem verbis nonne appellari potest omnis mensa nummaria, quecumque per homines consociatos administratur? Praeterea Italicum quoque verbum *cassa* potius quam ad societatem administrantium, ad sedem et, ut ita dicam, ad institutum ipsum pertinet. Quare mihi a re alienum non videtur mensae, vel arcae nummariae, voce uti.

Ne illa quidem genetiva *reservantium* vel *seponentium* mihi displicent, quum saepe res a sensibus sevocatas apud optimos scriptores ita significata inveniam, ut *fremitus indignantium* (Liv.), *sermo admirantium* (Cic.), *levitas temere adsentientium* (Cic.), *diversitas tradentium* (SVET.), etc.

Nisi forte melius erit rem definire pluri al vocabulo eodem modo quo *stoltezza*, *disperazione*, *ira*, *eroismo* interdum Latine *insaniae*, *desperationes*, *iracundiae*, *fortitudines* dicuntur. Quod si ita est, *compendia* in illo « *mensa* (vel *arca*) *compendiorum* » plane et perspicue Italicae vocem *risparmio* reddere fortasse potest.

Atque etiam hunc vertendi modum propter brevitatem potiorem habeo, praesertim quum opus sit Latine dicere, ut exemplo utar, *andare alla Cassa di Ri-*

sparmio; sin autem longiore esse oportet dicere: *ad aedes Societatis parsimoniae provehendae ire*, vel aliud eiusdem generis.

Quod attinet ad *parsimonialis urbana domus* et ad *apotamieuterium*, Tecum, optime existimator, omnino consentio; utrumque enim iam in sermonibus cum amicis iisdem de causis, quibus tu, repudiandum putavi.

Mihi pergratum feceris, si in *Alma Roma* socios ad dicendum quid de hac ressentiant et ad meliora proferenda invitareris.

Totum me Tuae benevolentiae commendabo, et salutem plurimam Tibi dico.

Addictissimus Tuus

GUSTAVUS PODESTÀ.

D. prid. Id. Aprilis, Mutinae.

Ad GUSTAVUM PODESTÀ,

Dulcissime rerum,

Mihi equidem gadeo, quod, nomine saltem, in socio Mutinensi te cognoverim, quem, una, humanitate et doctrina praestantem virum deprehendi; at simul doleo me non satis intelligibilia verba in superioribus litteris scripsisse. Atqui mihi videbar abunde explicasse quo sensu *Societatem parsimoniae provehendae italicam Cassa di risparmio* appellarem, ita ut, si quis hanc adire vellet, non ei dicendum esset: « Ad aedes societatis parsimoniae provehendae eo »; immo vero tantum: « Eo ad parsimoniae arcam », vel, si malueris — neque mihi displicet — ad « arcum compendiorum », quae certe non in via, sed in aedibus est, atque, uti pse concedis, instituti sedem plane indicat.

Quod porro obiicis, per Societatem parsimoniae provehendae appellari posse quamcumque nummariam mensam, quae per homines consociatos administretur, nego. Si enim et compendia a nummariis

mensis, iisque non ab omnibus, accipiuntur, non hic est profecto earum finis praecipuus, immo singularis. Nummariae enim mensae potius mercaturam faciunt variis sub formis; exempli gratia exteros nummos negotiantur eorumque collybum exercant, litteras ex credito, syngraphas emittunt, prescriptiones compensant, fiduciarias res pecuniasque iuxta quotidianas computationes sive liberas, sive vinculo adstrictas accipiunt, et plura alia huius generis operantur, quae singula ego, pecuniaris curis vacuus, et rei minime peritus, definire prorsus non valeo, quaeque a nostra *Cassa di risparmio* aliena omnino sunt.

Memini me nonnullis abhinc annis Viterbiæ, super altero fornice portæ, quam Florentinam nuncupant, lapideum titulum legisse, in quo dicebatur novus ille aditus egressusque veteris portæ adiectus fuisse per *Curatores arcae pecuniae fenebris ex civium parsimonia*. Si haec verborum circuitio magis tibi probatur, sit cum bona pace tua; quamvis fidem meam rei non addiderim; nolim namque curatorum cuique notam tribuere pecuniam per usuram administrandi in *reservantium* vel *seponentium* utilitatem.

Quas quidem voces, uti vides, adhibere ipse non dubitavi; sed post expressam « pecuniam »; ea ratione qua Suetonius fortasse voce *trudentium* usus est, scilicet post expressam rem traditam; dixi autem « fortasse », quod quum locum Suetonii tu non patefeceris, ego recognoscere nequivi. Cetera allata exempla si bene perspexeris, facile tibi persuasum fuerit de verbis intransitivis agi; de quibus mihi nulla quaestio.

Hisce denique ex mea parte prolatis, palaestram ad meliora proferenda sociis omnibus apertam libentissime tecum relinquo. Quamquam nonne erit melius de aliis rebus sermonem instituere?

Paneratice atque athletice vale!

I. FORNARI.

ANNALES

**Londinensis et Genevensis con-
ventus.**

Navalis, quem nuncupant, Londinensis conventus perdurat adhuc; partium enim consensus diu expectatus nondum sequutus est, neque sequuturus videtur.

Requisita a Gallis circa navales copias, a rei peritis ad ea in examen revocanda delegatis, nimia satis iudicata sunt; Gallia vero se tantum imminuere ea posse declaravit, quum fidei pignus sibi datum fuerit de incolumitate sua in Mediterraneo mari. Ecquid autem pignus?... Duo praesertim consilia ad rem agitata sunt; alterum ut de re definitiva sententia ad an. MCMXXXVI differatur, atque interim unaquaque natione fidem interponat navales suas copias minime augendi; alterum ut Anglia, Septentrionalis Americae Civitates et Iaponia Italiae atque Galliae invigilaturae sint neutriusque classis certum limitem excedat; quod si fieret, nationes eadem congregarentur ad iudicandum utrum constituti fines servandi essent, an eos immutare oporteret. Facile coniectu est utramque rationem magnis difficultatibus esse obnoxiam, ideoque non item praevideri posse, quinam futurus sit Londinensis huius conventus exitus, in quem tot spes undique convenerant.

Conventus interim Genevensis, a Societate Nationum habitus, sessiones suas conclusit hoc pacto: ne quis scilicet stipulationibus de portoriis nunc vigentibus usquead mensem Aprilem MCMXXXI renuntiare praesumat, neve aliquo modo — ne per tutelae quidem formulas — portoria ipsa augere. Pactum autem in singulos sex menses renovari poterit, si ad portiorum illam intermissionem, quae con-

ventus finis esse debebat, non interim deuentum fuerit.

Eheu! quisque omnia metitur sui ipsius tantum emolumentis et commodis!

**

Civilis in India seditio.

In India «nationalistarum» factio pacificam seditionem movit per senem praesidem suum Gandhi, qui omnes Indos «tali nomine dignos» hortatus est ut, intestinis dissentionibus compositis, ad «inobedientiam civilem» accederent, eousque perducendam, donec India sui iuris facta fuerit, vel singuli Indi in hostiles carceres detrusi. Anglicum gubernium eius vicarios comprehendit; is per desertionem unius diei a laboribus adversatur, atque symbolicum iter ducentorum kilometrorum indicit pedibus faciendum victumque quaerendo. Perfectum revera iter est, non quidem eo successu, quo martyres illi — (*martyrum enim iter nuncuparunt*) — sperabant; quorum plures in magna discrimina adducti sunt.

**

Funera.

Washingtonii supremum obiit diem Taft ille quondam Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses, qui, anno MCMIX electus, primus virorum collegium creavit ad pacem tutandam, idque praecepit per modum belli comparationibus imponendum, quod frustra adhuc, post tantam cladem rerumque eversionem, quaeritur.

Parisiis, paucos post dies, repentinio morbo absumptus est Primus De Rivera, qui per quinque annos, usque ad hodier nos dies, Hispanorum gubernio praepositus, de patria sua bene quidem meruit, praesertim ob eius dignitatem apud Mauritanos firmatam.

POPLICOLA.

ROMA SACRA**SS. D. N. Pii Pp. XI Litterae Encyclica de Christiana iuventutis educatione.¹**

«Duae igitur ... res sunt ante oculos praesitiae gravioris momenti, scilicet Ecclesiam praebere se in familiarum usum magistrum atque educatorem, familias ad utendum Ecclesiae magisterio convolare eidemque liberos suos, ad centena, ad millia, concredere: quae quidem duae res verum quoddam revocant ac praedicant, quod in ordine moralis ac sociali plurimum habet ponderis, idest munus educandi imprimis ac potissimum Ecclesiae esse et familiae, iure quidem naturali ac divino, ideoque sic, ut nullam derogationem, nullam oppugnationem, subrogationem nullam patiatur».

Neque est credendum damnum aliquod veris propriisque reipublicae iuribus, quod ad civium educationem attinet, secundum ordinem a Deo statutum, inde obvenit. Finis enim civilis societatis proprius in communi bono temporalis ordinis positus est; consequitur duplex esse civilis auctoritatis munus quae est in republica: tuendi nempe atque provehendi, minime vero familiam singularisque cives quasi absorbendi vel se in eorum locum substituendi. «Quamobrem, quod ad educationem spectat, ius est vel, ut rectius loquamur, officium est reipublicae tutandi suis legibus antecedens familie ius christiano nempe more prolem educandi, adeoque supernaturali Ecclesiae iuri in christianam eiusmodi educationem obsequendi.

«Itemque Civitatis est, hoc ius in prole ipsa tueri, si quando parentum opera — ob eorum vel inertiam vel imperitiam vel indignitatem — aut physice aut moraliter fortasse desit; siquidem ipsorum ius educandi, ut supra diximus, non absolutum est atque imperiosum, sed a naturali et divina lege de-

¹ Cfr. fasc. sup.

pendens, ob eamque rem non modo auctoritati et iudicio Ecclesiae subiectum, sed etiam vigilantiae ac tutelae, pro communi bono, Civitatis; neque enim familia perfecta est societas quae necessaria omnia in se habeat ad rem cumulate planeque perficiendam. Quo in casu, ceteroquin perraro, Civitas non iam se in familiae locum substituit, sed, semper accommodate ad naturalia prolis et supernaturalia Ecclesiae iura, necessitati opportunis subsidiis consulti ac providet. Generatim, ius est munus Civitatis, moralem ac religiosam iuventutis educationem, ad rectae rationis fideique normas, tuendi, publicas eas causas removendo quae eidem adversantur. Praecipue vero Civitatis est, ut commune bonum postulat, educationem ipsam iuventutis atque eruditionem pluribus modis promovere. Primum ac per se, operae ab Ecclesia familiisque susceptae fovendo atque opitulando, quae quam sit efficax historia usque rerum comprobatur; deinde operam ipsam perficiendo ubi ea deest vel haud sufficit; scholas quoque et instituta propria condendo; Civitas enim magis quam ceteri opibus pollet, quas sibi pro communibus omnium necessitatibus traditas, aequum omnino est et consentaneum ut in eorum utilitatem, a quibus accepit, impendat. Praeterea praecepit Civitas potest ac proinde curare ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscent, tum a scientia, doctrina morum physiciisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat. Verumtamen plane liquet, eo Civitatem officio teneri, ut, in publica privataque educatione atque eruditione omnibus his modis provehenda, non solum nativa Ecclesiae et familiae iura christiane educandi vereatur, sed etiam iustitiae quae suum cuique tribuit parere. Itaque nefas est, Civitatem educationis institutionisque causam ita ad se redigere totam, ut familiae, contra christiana conscientiae officia vel contra quam legitime malint, physice aut moraliter ad Civitatis ipsius scholas liberos suos mittere cogantur.

« Attamen id non prohibet quominus, ob rectam rei publicae administrationem vel pacem domi forisque defendendi causa ... scholas Civitas instituat quas dixeris praeparatoria ad quaedam sua officia, ad militiam praesertim, dummodo ab Ecclesiae et familiae iuribus laendis, in iis quea ad eas pertinent, se abstineat. Nec immerito equidem id Nos iterum hic admonemus; hac enim aetate nostra — qua nationalismus quidam, cum immoderatus et fallax tum paci veri nominis prosperitatique infensus, gliscere coepit — modi omnes excedi solent in physica educatione, quam vocant, adolescentulorum (atque interdum puellarum, contra ipsam humanarum rerum naturam) militari more ordinanda; in qua saepe nimium eius temporis, ipso Domini die, teritur quod et religiosis officiis et domesticae vitae sanctitudini tribuendum esset. Quamquam non hoc loco rectum disciplinae habitum iustumque animi audaciam, sed quidquid immodicum est Nos reprehensum volumus, ut violentiae spiritum, qui quidem aliud omnino est atque animi fortitudo nobilissimusque militaris virtutis sensus pro patriae ac publici ordinis defensione; itemque nimiam athleticae laudationem aestimationemque hic improbamus, unde, ethnicorum quoque tempore, germanae educationis physicae depravatio ac deiectio profluxit.

« Iamvero non solum iuventutis sed etiam aetatum omnium et condicionum ad civilem societatem Statumque educatio pertinet quae civica appellari potest, quaeque, pro parte, ut aiunt, positiva, in eo consistit ut hominibus ad societatem eiusmodi pertinentibus res publice proponantur, quae, et mentes cognitionibus rerumque imaginibus imbuendo et sensus percellendo, voluntates ad honestum invitent et morali quadam necessitate perducant; pro negativa autem, ut ea praecaveat atque impedit quae sibi adversantur.¹ Quae quidem civica

educatio, tam profecto ampla ac multiplex ut Status operam fere totam pro communi bono amplectatur, cum ad aequitatis leges conformare se debeat, tum doctrinae Ecclesiae, quae earum legum Magistra est divinitus constituta, refragari nequit ».

Quae omnia hucusque dicta de opera quam Civitas in educationem conferre debet, doctrina catholica de *Civitatum constitutione christiana*, tamquam firmissimo et immutabili fundamento, innituntur,¹ ita ut quicunque haec principia recipere eademque proinde ad educationem applicare recuset, is necessario quum neget Christum ob sempiternam hominum salutem Ecclesiam suam condidisse, tum affirmet societatem civilem et Statum Deo eiusque naturali ac divinae legi non subiici. « Quod quidem manifesto impium est, sanae rationi contrarium maximeque, quod ad educationem attinet, perniciosum omnino rectae iuvenum conformatioi ac certe civili ipsi societati veraeque humani convictus prosperitati exitiosum. E contrario, haec principia in usum deducendo, esse non potest quin plurimum ad rectam civium conformatioinem conferatur ». Id re factisque, omnibus aetatis luculenter comprobatum est; Pontifex testimonia refert Tertulliani, S. Augustini, ac, recentiore aetate, Silvii Antoniani in opere quod de *Christiana educatione* confecit.

« Ut autem Civitati, ita scientiae eiusque viae et investigationi nihil est pertimescendum ex eo quod Ecclesia plenum habeat absolutumque educandi mandatum. Siquidem catholica instituta, quicunque gradus est eruditiois ac scientiae ad quem pertinent, nulla prorsus defensione indigent. Gratia qua ea ipsa apud omnes florent, laudes quas sibi comparant, ingenii monumenta quae magno numero gignunt iisque maxime viri, quos, plena atque exquisita a doctrina instructos magistratui praebent, artibus, disciplinis tra-

¹ P. L. TAPARELLI, *Saggio teoretico di Diritto naturale*, n. 922.

¹ Cfr. LEONIS XIII, ep. enc. *Immortale Dei*, 1 Novembris 1895.

dendis, vitae demum qua late ea patet, satis superque ipsorum gloriam concelebrant ». Quae ceterum facta nihil aliud sunt quam praeclera doctrinae catholicae confirmatio a Concilio Vaticano (Sess. 3, cap. 4) definitae; quae quidem norma iustae libertatis scientiae provehendae simul est norma, quae violari nequit, iustae libertatis docendi probe intellectae; eaque servari debet quotiens alius doctrina traditur, at ex graviore sane iustitiae officio quum traditur iuventuti, tum quia in ipsam praceptor, publicus privatus, non absolutum sed participatum ius habet; tum quia omnis puer seu adolescens christianus sanctissimum ius habet ut secundum Ecclesiae doctrinam, veritatis quidem columen ac fundamentum, edoceatur; eidemque gravem quidem inferret iniuriam qui eius fidem turbaret, fiducia abutendo iuvenum erga magistros eorumque naturali rerum imperitia atque immodica ad libertatem absolutam fallacemque inclinatione.

« Neque enim oblivious unquam licebit, christiane educandum totum esse hominem, quantus est, nimur in unam naturam per spiritum et corpus coalescentem omnibusque animi et corporis partibus instructum quae vel a natura proficiscuntur vel ipsam excedunt, qualem demum ex recta ratione et ex divinis oraculis cognoscimus; hominem scilicet, quem a pristina nobilitate delapsum, Christus redemit in eamque supernaturem dignitatem restituit, ut adoptivus filius Dei esset, minime tamen iis redditis praeter naturam privilegiis, ex quibus ante et corpus immortale et animus aequus fuerat atque integer. Unde factum, ut quae foeda in hominum naturam ab Adami culpa profluxere, praesertim voluntatis infirmitas effrenataeque animi cupiditates, in homine supersint ». Itaque a pueritia hisce malis remedium adhibendum est. At vero « omnis disciplina puerilis, quae cumque, meritis naturae viribus contenta, ea respuit aut neglit quae ad vitam christianam rite informandam divinitus conferunt, falsa plenaque erroris est; omnisque via et

ratio educandae iuventutis, quae labis a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae divinaeque gratiae rationem nullam aut vix ullam habet, proptereaque in solis naturae viribus tota nititur, a veritate prorsus aberrat. Huc fere pertinent quae nostris temporibus palam proferuntur, variis quidem nominibus, doctrinae, quarum est, totum ferme cuiuslibet eruditiois fundamentum in eo ponere, ut pueris integrum sit sese informare ipsos ingenio atque arbitratu plane suo, vel repudiatis maiorum praecceptorum consilii omnique lege atque ope humana et divina prorsus posthabita. ... Ast, si communem verborum significationem, si res ipsas consideremus, haud alio spectant complures eiusmodi doctores, nisi ut puerorum educationem e divinis legibus eximant, quam ob rem novum quiddam ac mirum hodie conspicimus, institutores scilicet ac philosophos in eo desudantes ut codicem quaerant ac digerant de iuventute in universum educanda, quasi nulla sint divina oracula decalogo descripta, nulla sacra Evangeliorum praecelta, nulla naturae lex, quam Deus in animis hominum defixit ac paene insculpsit, per rectam rationem promulgavit ac per se ipse decalogo sancivit atque constituit. Unde etiam fit, ut novi id genus institutores disciplinam puerilem ab Ecclesia adhibitam, eo quod tota in auctoritate divina atque in sacris legibus innititur, tamquam non sui iuris, inertem atque obsoletam habere atque appellare contemptim soleant. In quo profecto misere ipsi falluntur, quum, aentes puerum, ut aiunt, in libertatem revocare, eum demum insanae superbiae ac pravis cupiditatibus mancipent, quae — ut ex eorum commentis consequitur — tamquam necessitates quaedam humanae naturae, quam exlegem perhibent, probanda esse.

« Sed quod turpius est, huiuscemodi magistri, etsi incassum, per errorem tamen impie ac periculose id sibi vindicant ut profanis communibusque inquisitionibus atque experimentis ea periclitentur, quae in puerorum educationem facta incident supernaturalis or-

dinis, ut, exempli causa, divinum ad sacerdotalia munia et ad religiosam vitam impulsu atque generatim arcana ea omnia, quae Gratia Dei in animis hominum operatur, quae, licet naturae vires extollat, eas tamen infinite praetergreditur et nullo pacto legibus physicis parere potest, quia "spiritus ubi vult spirat".¹

« Multo autem perniciosiores sunt illae de natura duce omnino sequenda opiniones doctrinae, quae in educationis humanae certam quandam ingrediuntur partem salebrarum plenam, in eam scilicet quae ad morum integritatem et ad castimoniam pertinet. Passim enim bene multi et stulte et pericolose eam tenent provehunque educandi rationem, quae sexualis putide dicitur, quum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis amoto religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discriminine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus — quemadmodum ipsi aiunt — assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat.

« In eo autem isti homines graviter errant quod nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscent neque legem illam membris nostris insitam, quae, ut verbis utamur Pauli Apostoli, mentis legi repugnat,² idque praeterea temere infitantur quod usu quotidiano didicimus, iuvenes nempe prae aliis in turpia saepius incidere non tam ob mancam mentis cognitionem quam ob infirmitatem voluntatis illecebri obnoxiae atque divinis auxiliis destituae.

« Qua de re prorsus difficulti, si quidem, omnibus perpensis, adolescentem aliquem tempestive ab iis moneri oporteat, quibus Deus educandi pueros officium commisit cum gratiis opportunis coniunctum, illae profecto cautiones et artes sunt adhibendae, christianis

¹ Io., III, 8.

² Rom., VII, 23.


institutoribus non ignota, quas apte Antonianus hisce verbis describit: "Eo usque imbecillitas nostra atque in malum proclivitas misere procedit, ut, quae ad remedium peccati consilia adhibentur, ea ipsa ad peccandum fere ansam atque incitamentum praebant. Quapropter magnopere interest, ut prudens pater, si quando de lubricis istiusmodi rebus cum filio colloquatur, bene attendat, neque ad hoc deveniat ut fere sub aspectum subiiciat artes singulas quibus horronda eiusmodi pestis tam magnam orbis partem veneno suo inficit, ne, dum libidinis ignes restinguere aggreditur, eos potius in tenebris puerorum animis aut sopitos suscitet aut plane incendat. Ut autem generatim loquamur, quamdiu pueri excolendi sunt, satis superque erit iis uti remediis quae castimoniam in animos inducant simulque ab iis via contraria prohibeant".¹

« Aequo vero fallax atque christianaे institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coëducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant, protoparentum labore viatuum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quandam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parum inconditum acervum. Divinus sane rerum omnium moderator perfectum utriusque sexus convictum in legitimo coniugio vigere voluit, dein in familia inque humana consortione, certo ordine dispergit. Accedit quod nihil est in ipsa natura — ex qua duo sexus, compage corporis, inclinationibus, ingenioque dissimile procedunt — unde colligi possit, mares et feminas promiscua, nedum una eademque, educatione informandos esse. Alter autem et alter sexus a Dei sapientia ad hoc sunt constituti, ut in familia et societate mutuo se compleant ut in

¹ Dell'educazione cristiana dei figliuoli, lib. II, c. 88.

unum quid apte coalescant, ob illud ipsum corporis animique discrimen quo inter se differunt, quod idcirco in educatione atque institutione tenendum, imo fovendum est per aptam distinctionem ac separationem, aetatis ac conditionibus congruentem. Eiusmodi vero pracepta, ad christianaे prudentiae praescriptum, tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet, sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianaē peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere summopere dedebeat».

(Ad proximum numerum).



VARIA

Venetiarum urbs.¹

Venetiarum urbs, ampla et magnifica, mercatura et rei navalis studio a parvis initii crevit. Sed ea, propter incredibilem situs munitionem, ante alias et beata et admirabilis existimatur, quod interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nullisque ob id opportuna hostium iniuriis, veteres thesauros domestica in pace cumulatos, periculosis etiam temporibus conservavit. Nulli etenim a terra aditus, intercedente quadriginta stadiorum pelago, nulli penitus a mari ingressus propter caeca atque humilia vada, usu tantum indigenis nota, aut ingruentium barbarorum avaritiae, aut magnis ab alto classibus patuerunt.

Veneti homines in universum consilio sunt graves, severi in iudiciis, et in adversa rerum fortuna constantes, in altera nunquam immodi.

¹ Ex Iovii Hist., 1, 1.

Omnibus quum idem sit conservandæ libertatis et augendi imperii incredibile studium, in senatu libere et saepius acriter sententias dicunt, nec quemquam temere ex optimatibus, qui vel insigni virtute, vel spiritu in gerendis rebus ceteris antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem et clarum fieri patiuntur. Quibus institutis dum servitutis metu aliena virtute, quam sua terrestri in bello uti longe utilius et tutius putant; togati omnes per octingentos amplius annos rempublicam nullis fere intestinis seditionibus exagitatam administrarunt. Ceterum ipsa nobilitas totius maritimi negotii et navalis disciplinae munera naviter implet; exutisque togis arma desumit.

* *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Cardui caseo ovisque constricti.
Obsonia varia fricta, Romanorum more.*

*Cynarae scolymi butyro madefacti.
Agnus paschalis assus cum lactucis.
Scriblita ex stratis cremeis.*

* *

locosa.

Tuccius quamdam immaginem coloribus expressam diu admiratus, pictorem interrogat:

— Quo pretio speciem meam oleatis pigmentis pinxeris?
— Quingentis libellis.
— Et si oleum ipse suppeditavero?...

Magister de utilitate columborum diu loquutus, eorum quoque officia explicat in bello, atque concludit:

— Hi autem columborum ex genere sunt, quorum nomen est: *Columbus viator*.

Tuccius (secum): — Ah! nunc tandem intellego, quanam de causa Christophorus ille, qui Americam repperit, Columbus appelletur!

**

Aenigmata

(A socio TH. GARRIDO proposita).

I

Exprimit una duo; supereminet altera in ore;
tertia sordet humi; vatibus omne placet.

II

Flosculus aethereas totum diffundit in auras;
deme, precor, *primum*: quid tibi, lector,
[adest?
Urbibus ex cunctis longe Urbs pulcherrima
[dicens,
quae, simulac *primis* iunxeris *ima*, scies.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Si-mi-la*; 2) *Ava*.

J MAR 40

LIBRORUM REENSIO

JOHANNES LATINI, *Itala Tellus* (Atanòr, Todi, Ven. L. 8).

Septem sunt carmina, sex exametris, unum disticis elegiacis expressum, eadem italicis numeris redditia.

Duo Vergilium canunt; alterum *Extremum iter* poëtae atque eius obitum, alterum (*Somnium Vergili*) eum narrat ad vivos redeuntem recentia bella spectantem et antiqua sui ipsius vota de aurea aetate revocantem.

Lydia rem refert ab Horatio (I-8); puellam narrat Sybarim amando non perdidisse, sed ad meliores mores reduxisse.

Syrillus, rem a Catullo referens, passeris delicias et exitum amplius canit.

Roma post Cannas narrationem Livii sequens, trepidationem et virtutem Romanorum post cladem memorat; poëtam queror

rem pulchre* inceptam non amplius tractavisse.

Ianus et Camene facta et nuptias Iani, plaudentibus divis, canentibus Musis narrat.

In sepulcrum ignoti militis ostendit poëta extinctum bello militem matrem matremque filium omissum invicem deflere.

Haec carmina politissimis typis edita, ab optimis litterarum peritis perlaudata, haud parvis Musarum muneribus ornantur; optimum excelsis poësis floribus *Ianum et Camenem* laudo; versuum politissimorum venustate *Somnium Vergili* excelleat. Poëtae, nos usque maiora exspectantes, magnopere gratulamur.

I. GARAVANI.



Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. dri. A. Cio..., *Mutini*. — Illius commentarii, quem desideras, fasciculos impossibile est habere; qui enim superfuerunt, post paucos dies, a quo edi commentarius desuit, omnes insipienter destructi sunt.

Cl. v. dri. I. Di St..., *Brundusio*. — Mitte, et videbimus.

Cl. v. T. Fer..., *Hispali*. — Si domicilium mutasti, nec quidquam de novo dixisti, quomo do queri potes, *Altam Romam* ad te non pervenisse? Non enim divinantes sum! Et haec dicta sunt alii quoque, qui in casu ipso tuo versentur.

Cl. v. AD. DE KOZ.... *Petricovia*. — Quae misisti accepimus, tibique amplissimas gratias referimus.

Cl. v. J. Iss..., *Uvrier in Helvetia*. — Ad proximum numerum.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS